

**Zeitschrift:** Zeitschrift für schweizerische Kirchengeschichte = Revue d'histoire ecclésiastique suisse  
**Herausgeber:** Vereinigung für Schweizerische Kirchengeschichte  
**Band:** 62 (1968)

**Artikel:** Johannes von Segovias Stellung zur Präsidentenfrage des Basler Konzils  
**Autor:** [s.n.]  
**Anhang:** Additiones  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-129209>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

**Download PDF:** 14.03.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

## ADDITIONES

### VORBEMERKUNG

Die in V 2 und H gegebenen, längeren Zusätze werden hier zusammengestellt, wobei als Textgrundlage V 2 benützt wird.

#### *Add. 1 (cf. p. 32)*

Decretis] XIX di. *Ita Dominus* <sup>1</sup>, XXIV qu. I *Rogamus* <sup>2</sup>, IX qu. III *Aliorum* <sup>3</sup>. Item ex auctoritatibus sacre scripture Johannis primo: *Tu vocaberis Cephas* <sup>4</sup>, Math. XVI: *Ubi dabo claves regni celorum, et quodcumque ligaveris* etc. <sup>5</sup>, Luc. XXII: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua* <sup>6</sup>, Joh. ultimo: *Pasce oves meas* <sup>7</sup>. Item quia, cum aliis discipulis dictum sit a Christo *laxate retia in captura* <sup>7</sup>, Petro dictum est Luc. V: *Duc in altum rethe* <sup>8</sup> et Math. XXIV quod *tu vocaberis* <sup>9</sup>, Petro eciam dicit Christus *noli timere, iam ex hoc homines eris capiens* <sup>10</sup>. Soli <sup>a</sup> Petro tamquam capitaneo apostolorum mandavit, ut daret staterem pro se et ipso, Math. XVII <sup>11</sup>. Ipse eciam Petrus *traxit ad terram rethe plenum piscibus magnis*, Joh. XXI <sup>12</sup>. Et tempore passionis solus Petrus usus est gladio ad defensionem Christi <sup>13</sup>.

<sup>a</sup> ultime qui soli H

<sup>1</sup> DECRET. Grat. I dist. XIX c. 7 (p. 62)      <sup>2</sup> ibid. II caus. 24 qu. I c. 15 (p. 970)

<sup>3</sup> ibid. II caus. 9 qu. 3 c. 14 (p. 610)      <sup>4</sup> Joh 1,42      <sup>5</sup> Mt 16,19      <sup>6</sup> Lc 22,32

<sup>7</sup> Joh 21,17      <sup>8</sup> Lc 5,4      <sup>9</sup> ibid.      <sup>10</sup> Lc 5,10      <sup>11</sup> Mt 17,27      <sup>12</sup> Joh 21,11

<sup>13</sup> cf. Joh. 18,10

#### *Add. 2 (cf. p. 36)*

Non <sup>a</sup> potest dici, quod intelligitur de perseverancia finali. Nam si de hoc solo <sup>b</sup> intelligeretur, videlicet quod ecclesia non errat, quia etsi papa erret pro tempore vite sue, tamen sicut Petrus non perseverabit in errore, sed tandem finaliter convertetur et permanebit in fide, et sic ex fide personali pape, quoniam eo saltem perseverabit finaliter, certitudo fidei dependet in ecclesia. Hoc enim stare non potest, primo quia certum est summos pontifices non perseverasse in fide finaliter, secundo quia sic numquam esset certitudo in ecclesia, quia credendum sive tenendum a

<sup>a</sup> nec H      <sup>b</sup> solum V 2

fidelibus esset, cum, sicut isti dicunt, oporteret expectare mortem summi pontificis, quando isti dicunt, quod tandem convertetur et morietur in recta fide.

*Add. 3 (cf. p. 36)*

Quod Augustinus videtur notare in sermone decimo super psalmum CIII<sup>1</sup> expones illud *qui fundasti terram super stabilitatem suam*<sup>2</sup>; per terram enim intelligit ecclesiam, quam dicit fundatam super stabilitatem suam et sic stabilitas et firmitas sua inhereret sibi intrinsece. Hanc autem stabilitatem sive fundamentum, super quod ecclesia fundata est, dicit esse Christum iuxta illud prima Cor. III: *fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Jesus Christus*<sup>3</sup>. Constat autem, quod virtus capitis est intrinseca corpori, quod nullatenus moritur, sed sicut de ecclesia dici potest, semper vivit, ita ergo quod virtus sive potestas se conservandi semper inest sibi intrinsece.

<sup>1</sup> cf. AUG. in psalm. 103 serm. 1 (PL 37,1350)      <sup>2</sup> Ps 103,5      <sup>3</sup> 1 Cor 3,11

*Add. 4 (cf. p. 37)*

Et si dicatur, quod potestas pape inheret ecclesie intrinsece quodque ecclesie ad papam est essentialis ordo, non quidem ad hunc vel illum papam personaliter accipiendo, sed generaliter, videlicet nomine pape intelligendo illam supremam potestatem, que in papa residet, quia cum de ratione ecclesie sit<sup>a</sup>, quod est corpus vivum et ordinatum, ordo autem est per respectum ad aliquod primum sive principium, hoc intelligi non potest, nisi per illud primum papa intelligatur, qui est in ecclesia primus, et per respectum ad quem omnes alii ministri dicuntur esse ordinati sive habere ordinem, unde et si quando moritur papa, tunc respectu persone sit dare tempus, in quo ecclesia est absque<sup>b</sup> persona pape, in eo tamen tempore verum est dicere, quod in ecclesia est dignitas papalis. Etenim si persona eligatur, que habeat illam dignitatem, non tunc dignitas de novo instituitur in ecclesia. Magna siquidem differentia est, quando in aliqua civitate de novo instituitur dignitas episcopalis et preficitur ibi aliquis episcopus, vel quando de dignitate, que iam ab antiquo ibidem creata est et primo recte dicitur vacare, providetur alicui, nec enim per huiusmodi mortem talis civitas aut ecclesia dicitur perdere dignitatem episcopalis. Sic igitur videtur esse<sup>c</sup> de ecclesia respectu pape, quod est

<sup>a</sup> om. V 2      <sup>b</sup> sine V 2      <sup>c</sup> om. V 2

unius ad alterum habitudo essentialis, ita quod alterum sine altero intelligi aut esse non potest. Ad hoc dici posset, quod ipsa obieccio trahit solucionem secum. Facit enim differenciam inter papam et dignitatem papalem sive inter sedem Romanam et sedentem, quorum alterum dicit in ecclesia semper manere, aliud vero quandoque <...>. Conceditur namque, quod suprema potestas, quam Christus ecclesie sue concessit ad se tuendum et regendum et cuius iudicio ac dispositioni omnes fideles acquiescere tenentur, semper in ecclesia manet, nec est assignare aliquod tempus, in quo absque huiusmodi potestate intelligatur stare. Et si per dignitatem pape aut Romanam sedem intelligit hanc supremam potestatem, non est dubium hanc semper in ecclesia manere. Sed hec suprema potestas, respectu cuius dicitur, quod est omnis ordo non solum in papa, sed etiam <sup>d</sup> in ecclesia, nam papa mortuo ecclesia manet ordinata, quia de ea pro omni tempore dicitur, *quod est perfecta ac terribilis ut castrorum acies ordinata* <sup>1</sup>, nec potest dici quod tunc solum competit <sup>e</sup> sibi ordinatio habitualiter, videlicet in respectu ad papam futurum, quia non solum potencialiter vel habitualiter, sed actualiter est ordinata, cum eo tempore de ipsa dicatur, quod est corpus vivum ac sponsa<sup>f</sup>, que pro nullo tempore suum perdit ordinem et decorem. Cum ergo hec suprema potestas intelligatur esse, licet diversimode, prout infra declarabitur, in ecclesia et in papa, alia tamen et alia habitudine. Equidem inter hanc potestatem et ecclesiam videtur esse habitudo necessaria, quia impossibile est unum ab altero separari presupposita Dei ordinatione, unde videntur se habere sicut subiectum et propria virtus eius. Sed inter hanc supremam potestatem et personam pape non necessaria habitudo, sed contingens esse dicitur. Etenim <sup>g</sup> potestas <sup>h</sup> potest <sup>i</sup> esse<sup>i</sup> absque eo, ut patet sede vacante, et persona pape etiam absque illa, ut antequam eligatur vel si post deponitur de papatu. Ergo cum possint adinvicem separari, sequitur quod, quamdiu manet, non necessario, sed contingenter dicitur sibi inesse. Ex <sup>k</sup> hoc <sup>k</sup> apparere potest, quod hec potestas primo et principaliter est in ecclesia. Nam quodcumque aliqua virtus sive proprietas inest duobus, ita quod uni necessario et alteri contingenter, principaliter inest illi, cui necessario, quam illi, cui competit contingenter, sicut dicimus de calore, qui igni necessario inest, aque vero aut aliis contingenter. Sic autem videtur esse de hac suprema potestate, que competit ecclesie et pape <sup>1</sup>.

<sup>d</sup> est H    <sup>e</sup> petit H    <sup>f</sup> Christi add. H    <sup>g</sup> est enim H    <sup>h</sup> hec add. H    <sup>i</sup> om. H  
<sup>k</sup> expliciter V 2    <sup>1</sup> dicitur add. V 2

<sup>1</sup> Cant 6,3



Sequitur etiam, quod ecclesie ad papam non est essentialis ordo sive habitudo intrinseca. Patet, cum enim papa dicat duo, scilicet dignitatem sive potestatem supremam ecclesie et personam pape. Ad potestatem vero ecclesia habet habitudinem necessariam et intrinsecam, sed ad personam pape extrinsecam et contingentem, quia sine illa esse potest. Sequitur, quod ad papam, prout utrumque complectitur, est contingens sive extrinseca habitudo. Racio huius est, quia quancumque aliquid constat ex duobus, quorum unum est nobilius et aliud ignobilius, totum constitutum sequitur semper condicionem debilioris principii, sicut homo, qui constituitur ex anima incorruptibili et ex corruptibili corpore, non a nobiliori homo<sup>m</sup> incorruptibilis<sup>n</sup>, sed corruptibilis denominatur<sup>o</sup> a debiliori principio. Sic etiam dicitur contingens conclusio, que elicitur ex duabus premissis, quarum una est necessaria, altera vero<sup>p</sup> contingens. Ita videtur in proposito, quod cum papa duo dicat, videlicet potestatem et personam, in qua est potestas, et ipsius persone et ecclesie est habitudo contingens, licet respectu potestatis sit habitudo necessaria, tamen ad totum simul sumptum huiusmodi habitudo extrinseca vel contingens dicitur. Unde etiam ex hoc patet, quod supra premittitur, quod virtus sive potestas ecclesie ad se tuendum et gubernandum inheret sibi intrinsece, sed quoniam persona pape non inheret ecclesie intrinsece seu ad eam non est habitudo necessaria, cum sine illa possit aliquando esse, sequitur, quod ecclesie potestas ad se regendum et tuendum non dependet solum aut principaliter ex potestate pape, inquantum sibi soli dicitur inherere et inquantum ex ea sic inherente accio ad tuicionem et regimen ecclesie solum sequi posset aut<sup>q</sup> deberet. Est enim inherencia ex conditione alterius externi contingens, et sic ecclesie, quod tamen de nulla dicitur creatura, pro aliquo tempore posset deficere potestas se conservandi et tuendi. Cuius<sup>r</sup> apparet manifeste contrarium, cum principia essendi et se tuendi cuilibet rei insint intrinsece. Racio autem fundamentalis videtur esse in hiis omnibus, quod cum hec potestas sive auctoritas suprema sit semper permanens ac quasi perpetua et invariabilis, oportet quod primum principium sive fundamentum, cui inest, sit huiusmodi, ut<sup>s</sup> non sit maioris dignitatis proprietas quam subiectum. Premisse autem condiciones non persone pape, sed ecclesie videntur competere.

<sup>m</sup> ex *H*    <sup>n</sup> incorruptibili *H*    <sup>o</sup> nominatur *H*    <sup>p</sup> om. *H*    <sup>q</sup> ac *H*    <sup>r</sup> ergo *V 2*  
<sup>s</sup> ad *V 2*, cum *H*

*Add. 5 (cf. p. 37)*

Item <sup>a</sup> secundum intencionem apostoli entitas sive essentia aut unitas ecclesie non potest solum in uno consistere. Patet, quia ecclesia est corpus et corpus non potest esse, nisi sint plura membra. Unde dicit, *quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus, nunc autem quidem multa membra, unum corpus* <sup>1</sup>. Ex hoc apparere potest, quod non videtur conformari doctrine apostoli <sup>b</sup> opinio, que dicit, quod ecclesia potest manere etiam in una vetula solum. Constat namque, quod ecclesia est corpus, quod non <sup>c</sup> unum, sed plura <sup>d</sup> membra complectitur. Et specialiter apostolus enumerat caput, oculos, aures, manus et pedes, specificando autem in hiis duabus epistolis Cor. et Eph. <sup>2</sup> dicit positos esse quasi integrantes corpus ecclesia apostolos, prophetas, evangelistas, doctores et pastores necnon virtutes *ad consummacionem seculorum in opus ministerii in edificacionem corporis Christi, donec occurramus omnes* <sup>3</sup> etc. Ubi <sup>e</sup> notat, quod hoc est sic institutum perseverare usque in finem mundi. Et cum verbum Dei non possit irritum esse, Luc XXI: *Celum et terra transibunt, verba autem mea non preteribunt* <sup>4</sup>, Matth. v: *Amen dico vobis, donec transeat celum et terra, iota unus aut unum apex non preteribit a lege, donec omnia fiant* <sup>5</sup>, ex quo deus dixit huiusmodi officia ecclesie usque in finem mundi stare debere, manifestum est, quod numquam in ecclesia huiusmodi status deficient et per consequens non est possibile ecclesiam manere debere in una vetula, quia verbum divinum esset mendax.

<sup>a</sup> etenim *H*    <sup>b</sup> illa *add. H*    <sup>c</sup> *om. V 2, est add. H*    <sup>d</sup> multa *H*    <sup>e</sup> prout *add. H*    <sup>f</sup> sicut *H*

<sup>1</sup> 1 Cor 12,19    <sup>2</sup> cf. 1 Cor 12,28, Eph 4,11    <sup>3</sup> Eph 4,12 s    <sup>4</sup> Lc 21,33 (cf. Mt 24,25)    <sup>5</sup> Mt 5,18

*Add. 6 (cf. p. 39)*

Hoc idem dicit Augustinus super Johannem sermone II capitulo III <sup>a</sup>: «In apostolis cum esset ipse unus duodenaris et quadripartitus in ternos et omnes essent interrogati, solus Petrus respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi* <sup>1</sup>, et ei dicitur: *Tibi dabo claves regni celorum* <sup>2</sup>, tamquam ligandi et solvendi solus acceperit potestatem, cum et illud pro omnibus dixit et hoc cum omnibus <sup>o</sup>, non pre omnibus aut solus. Unde manifestatur, quod in hac confessione illi sunt participes».

<sup>a</sup> *om. H*    <sup>b</sup> tamquam personam generis ipsius voluntatis accepit; attendendum est verbum cum omnibus *add. H*

<sup>1</sup> Mt 16,16    <sup>2</sup> Mt 16,19

*Add. 7 (cf. p. 40)*

Item etiam Augustinus super epistola Johannis omelia x: «*Ubi fit remissio peccatorum, ibi est ecclesia, quomodo ecclesia? Illi<sup>a</sup> enim date sunt claves regni celorum, ut que solveret in terris, essent soluti in celo, et que ligaverit in terris, essent ligati et in celo*»<sup>1</sup>.

<sup>a</sup> ibi H

<sup>1</sup> AUG. in epist. Joh. 10,10 (PL 35,2062), cf. Mt 16,18

*Add. 8 (cf. p. 42)*

Hoc idem docet <sup>a</sup> Ambrosius <sup>a</sup> in sermone de sacerdotibus inquit: *Sic certe a Domino ad beatum dicitur Petrum: Petre amas me?, et ille: Tu scis, domine, quia amo te. Et cum tercio fuisset subsecutus, repetitum est a Domino tercio: 'Pasce oves meas'. Quas oves et quem gregem non solum tunc beatus suscepit apostolus Petrus; sed nobiscum eas accepit et cum illo nos eas accepimus omnes. Unde, quia regende sacerdotibus contraduntur<sup>b</sup>, merito rectoribus suis subdi dicuntur<sup>1</sup>.*

<sup>a</sup> docetur <ab> Ambrosio V 2      <sup>b</sup> traduntur H

<sup>1</sup> PS. AMBR. dign. sacer. 1 (PL 17,570<sup>A</sup>), cf. Joh 21,15 ss

*Add. 9 (cf. p. 43)*

Quod illa auctoritas *Tibi dabo claves et quodcumque ligaveris*<sup>1</sup>, que denotat promissionem, debeat intelligi prout declarant verba concessionis, quod non ad solam personam Petri dirigantur<sup>a</sup> principaliter, actento quod auctoritates sanctorum et declarationes<sup>a</sup> per ecclesiam facte idem videntur exprimere.

<sup>a</sup> dirigantur usque declarationes om. V 2

<sup>1</sup> Mt 16,19

*Add. 10 (cf. p. 43)*

Nec in toto sacro canone biblie reperitur locus alius aperior nec expressior, in quo legatur, quod potestas clavium sit data vel concessa a Christo Petro aut ecclesie sub eisdem verbis, quibus promissa fuit.

*Add. 11 (cf. p. 45)*

Unde ex hac auctoritate potestas ecclesie videtur excedere potestatem Petri in firmitate, quia premittitur *Amen dico*<sup>1</sup>, in superioritate iudicii, quia eum ad ecclesiam remisit, in universalitate, quia hic pluraliter dicitur *quecumque*<sup>2</sup>, ibi autem in singulari *quodcumque*<sup>3</sup>. Unde ecclesia potest inducere novum ritum in cerimoniis aut novam consuetudinem universaliter in ecclesia vel tollere, quod papa dicitur non posse; et enim, sicut profitetur *fidem usque ad unum apicem immutilatam servare*<sup>4</sup>, ita et *ritum sacramentorum catholice ecclesie traditum omnino sequi et observare*<sup>5</sup>. Item quoad executionem actualem, quia subditur *ubi sunt duo vel tres, ibi ego sum*<sup>6</sup>. Hoc etiam videtur probari ex auctoritate data a Christo omnibus discipulis post resurrectionem, que manifeste confirmat, quod antea dixerat, Joh. xx: *Dixit ergo eis iterum: pax vobis. Sicut misit me pater et ego mitto vos. Et cum hoc*<sup>a</sup> *dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*<sup>7</sup>, ubi manifeste primo notatur securitas et tranquillitas, cum premittat<sup>b</sup> *pax vobis*, immediata potestas, *sicut misit me pater et ego mitto vos*, et sic patet, quod non a Christo mediante Petro, sed ab ipso Christo immediate potestatem acceperunt, sicut Christus immediate a Deo patre suo. Item Luc. x: *Qui vos audit, me audit*<sup>8</sup> et, quia immediate a Christus missi sunt, ideo dicebat Apostolus Cor. v: *Pro Christo legacione fungimur*<sup>9</sup>. Item notatur infallibilis assistencia Spiritus Sancti, quia insufflavit et dixit: *Accipite spiritum sanctum*<sup>10</sup>, postremo libera executio potestatis, quia illimitate dicitur *quorum remiseritis peccata*<sup>11</sup> etc. Hec autem et supradicta fuisse in concessione potestatis ad Petrum<sup>12</sup>, ideo propter assistenciam spiritus sancti communiter dicitur, quod ecclesia non potest errare in diffinitionibus fidei, quod de papa nemo asseruit unquam.

<sup>a</sup> om. H, haec Vulg.      <sup>b</sup> premittitur H

<sup>1</sup> Mt 18,18      <sup>2</sup> Mt 18,18      <sup>3</sup> Mt 16,19      <sup>4</sup> cf. Mansi 27 p. 1162 A, COD p. 418,33–36, cf. LIBER diurn. 83 (ed. Sickel p. 91)      <sup>5</sup> ibid. p. 92      <sup>6</sup> Mt 18,20      <sup>7</sup> Joh 20,21 ss      <sup>8</sup> Lc 10,16      <sup>9</sup> 2 Cor 5,20      <sup>10</sup> Joh 20,22      <sup>11</sup> Joh 20,23      <sup>12</sup> cf. Mt 16,19

*Add. 12 (cf. p. 45)*

Unde Beda et Glossa ordinaria super verbo *dic ecclesia* inquit, *quia dixerat, si ecclesiam non audierit, sit tibi ethnicus et publicanus*, et poterat contemptoris fratris hec esse responsio vel tacita cogitacio: *si me despicias*,

*et ego te despicio, si me contempnas, mea sententia contempnaberis; potestatem tribuit apostolis, ut sciant, qui a talibus contempnantur, humanam sententiam divina sententia corroborari* <sup>1</sup>.

<sup>1</sup> BEDA in Matth. evang. expos. III 18 (PL 92,83 s)

*Add. 13 (cf. p. 45)*

Papa enim, sicut quicumque fidelis, potest dicere in oratione dominica *Pater noster*, unde est frater filiorum Dei, nec hoc nomine ipse dedignabitur, cum Christus, cuius est vicarius, discipulos fratres suos vocaverit Matth. XXVIII, Joh. XX, Hebr. II. <sup>1</sup>

<sup>1</sup> cf. Mt 28,10, Joh 20,17, Hebr 2,12

*Add. 14 (cf. p. 45)*

Licet enim difficile sit huiusmodi peccatum sine scandalo inveniri, tamen ex hac auctoritate videtur colligi, quod ratio, quare ad iudicium ecclesie frater potest deferri, non est scandalum, sed potius contemptus ammonicionis fraterne.

*Add. 15 (cf. p. 45)*

Secundum sensum litteralem non videtur proprie adaptari ex significatione nominis ecclesie, quod secundum Grecam linguam significat congregacionem, et quoniam tunc Petro loquebatur hec, remisit eum ad se ipsum et quoniam pluraliter dicitur *quecumque alligaveritis* <sup>1</sup>, que verba non videntur convenire uni persone soli; item ex verbo quod subiungitur *ubi sunt duo vel tres* <sup>2</sup>, posito tamen, quod secundum multorum opinionem exponi possit *dic ecclesie* <sup>3</sup> et prelato <sup>a</sup>.

<sup>a</sup> ecclesie *add. H*

<sup>1</sup> Mt 18,18      <sup>2</sup> Mt 18,20

*Add. 16 (cf. p. 45)*

Et si non sit concilium, tenetur iuxta gratiam et vices sibi a Deo concessas oportune cooperari, ut fiat. Mandatum enim est, ut dicat ecclesie. Unde debet facere quod in se est, ut in noticiam ecclesie deveniat, et tanto diligentius, quanto peccatum illius pluribus scit posse nocere.

*Add. 17 (p. 47)*

Ad presens autem non est discussio de angelis. Item hoc idem patet ex alia <sup>a</sup> denominatione, videlicet quia ecclesia dicitur esse omnium magistra fidelium, cap. *Dampnamus* <sup>1</sup> et cap. *Fideli*, *De summa trinitate et fide catholica* in volumine et in VI decretalium *docet sacrosancta Romana ecclesia, mater omnium fidelium et magistra* <sup>2</sup>. Unde si papa vult reputari fidelis, oportet quod profiteatur se discipulum huius magistre, et quoniam iuxta doctrinam salvatoris Matth. x, Luc VI, Joh. XIII: *Non est discipulus super magistrum* <sup>3</sup>, necesse est intelligere, quod papa subest ecclesie sue magistre iudicio et non e converso; preterea quod ecclesia sit domina summorum pontificum et ipsi sint eius ministri, patet ex ipsorum confessione LXXIX dist. cap. *Oportebat*, et videntur esse verba Stephani pape in concilio: *oportebat autem, ut hec sacrosancta domina nostra Romana ecclesia, iuxta quod a beato Petro et eius successoribus institutum est, rite ordinetur* <sup>4</sup>. Item Alexander papa I q. III cap. *Ex multis: Per nummularios ecclesiastici beneficii venditores designantur, qui domum Dei evangelio teste speluncam latronum efficiunt. Quapropter ego Alexander sancte Romane ecclesie et apostolice sedis episcopus, ymo minister indignus, tot et tanta mala etc.* <sup>5</sup>

<sup>a</sup> causa *add. H*

<sup>1</sup> DECRET. Greg. IX. I tit. I c. 2 (ed. Friedberg p. 7)      <sup>2</sup> SEXTI DECRET. I tit. I,1 (ed. Friedberg p. 936)      <sup>3</sup> Mt 10,24, Lc 6,40 cf. Joh 13,16      <sup>4</sup> DECRET. Grat. I dist. 79 c. 3 (p. 277)      <sup>5</sup> *ibid.* II c. 1 qu. 3 c. 9 (p. 415 s)

*Add. 18 (cf. p. 48)*

Maxima enim differentia est dicere papam esse maiorem in ecclesia vel maiorem ecclesia. In prima est comparacio partis ad alias partes ecclesie, in secunda est comparacio ad totum corpus, sicut caput, licet sit maius pede, manu aut aliis singulis membris, non tamen maius est corpore <sup>a</sup>. Et isto modo videtur intelligi posse maior, quod cum dicatur: *Nemo primam sedem iudicabit* <sup>1</sup>, ac quod papa a nemine iudicetur, quod hec nomina distributiva «nemo» et «nullus» sumuntur pro singulis hominibus huiusmodi congregacionis fidelium, non autem pro ipsa congregacione, que unica est nec plurificari potest, et ideo nomen distributivum ei compe-

<sup>a</sup> ita papa, etsi dicatur simpliciter, quod sit caput ecclesie, non ex hoc haberetur, quod esset quid maius corpore ecclesie, sed quod esset maior singulis membris *add. H*

<sup>1</sup> NICOL. I. epist. 88 (MG Epist. VI p. 466; cf. Mansi 1 p. 1257<sup>B</sup>)



tere non potest, sicut non potest proprie dici omnis Deus, cum non possit esse nisi unus, ita quod in predictis ac aliis multis auctoritatibus decretorum sit comparacio pape ad alios tamquam membri<sup>b</sup> ad alias partes et alia membra, non autem ad ipsum corpus sive totum, quod est ecclesia. Nec obstat, quod subditur, videlicet quod Dei reservatur iudicio<sup>2</sup>, quia iudicium ecclesie congregate sive concilii dicitur iudicium Dei<sup>3</sup> prout act. xv et<sup>c</sup> infra plenius declaratur. Ita eciam videtur intelligendum, quod dicitur, quod clavium potestatem in beato Petro apostolo Christus principaliter collocavit<sup>4</sup>. Verbum enim *principaliter* refertur ad alios apostolos, prout considerantur singulariter et<sup>d</sup> conceditur, quod Petrus est maior quolibet eorum, sed non sequitur quod omnibus, maxime quando considerantur ut congregacio fidelium, que est ipsum totum et corpus. Forte argueretur oppositum, quod eo ipso sit, quod minus patet, quia omnis pars est minor suo toto et caput est pars corporis tamquam tocus<sup>e</sup>, additur autem.

<sup>b</sup> et partis *add. H*    <sup>c</sup> *om. V 2*    <sup>d</sup> sic *add. H*    <sup>e</sup> *om. H*

<sup>2</sup> cf. DECRET. Grat. 9 q. 3 c. 14 (p. 610)    <sup>3</sup> cf. Act 15,28    <sup>4</sup> cf. DECRET. Grat. dist. 19 c. 7 (p. 62)

*Add. 19 (cf. p. 49)*

Nec se dividere aut separare ab aliquo potest. Est enim articulum fidei *unam sanctam ecclesiam* et in Canticis dicitur *una est columba mea*<sup>1</sup>, et si dicatur, quod hec deduccio forte locum haberet comparando papam ad ecclesiam universalem similiter, sed non comparando ad concilium, unde potest esse, quod papa<sup>a</sup> et sibi adherentes sunt una ecclesia<sup>b</sup> indivisa, qui vero sunt in concilio tamquam dissencientes a suo capite, quod sunt ab ecclesia prescisi, tenentur quoad membra sibi adherere, advertatur pro responsione: Etenim si presupponitur, quod aliquod est concilium et per consequens quod est verum et legitimum, quia alias non est concilium, cum ibidem sit iudicium saltim quoad hoc de concilio et ecclesia universali, quia sunt unum representatione, sicut papa non se debet comparare ecclesie quoad superioritatem, ita nec concilio. Similiter nec concilium tenetur se unire pape, potius econverso, eo namque ipso, quod quis profitetur concilium, profitetur veritatem et unitatem univer-

<sup>a</sup> *om. H*    <sup>b</sup> *unica add. V 2*    <sup>c</sup> *om. V 2*    <sup>d</sup> *om. V 2*    <sup>e</sup> *om. H*    <sup>f</sup> *om. H*

<sup>1</sup> Cant 6,8



salis ecclesie, quam ipsum concilium esse vel esse cum ea unum et non ab ea separatum existere manifestat unitas representationis. Quomodo enim concilium representaret ecclesiam universalem, si non haberet cum ea unitatem. Sequeretur denique, quod<sup>c</sup> prelati ceterique fideles, qui<sup>d</sup> ad succurrendum necessitatibus ecclesie venientes ad concilia congregantur, in nomine desinunt esse de gremio ecclesie. Non enim est concilium universale, ubi qui intersunt non sunt congregati in nomine Christi. Et cum Christus in medio horum se esse profiteatur<sup>2</sup>, sequitur quod concilium ab ecclesia non est divisum nec se dividit, sed est cum ea unum et idem seu eidem<sup>e</sup> unitum et identificatum, ita ut quodcumque agit concilium sive patitur, ipsam ecclesiam agere sive pati dicatur. Hoc enim nomine huiusmodi conciliorum congregacionem Christus appellat, quando dicit Petro: *Dic ecclesie*<sup>3</sup>, et post immediate subiunxit: *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum ego in medio eorum*<sup>4</sup>. Cum igitur ex representatione ac denominatione Christi congregacio huiusmodi sive concilium vendicet sibi nomen ecclesie, omnes fideles ut sint unum cum Christo et<sup>f</sup> ecclesia<sup>f</sup>, tenentur illi adherere, papa autem, cum sit caput, sub capite intantum sibi competit esse caput, in quantum cum ipsa ecclesia est unum, quia non est ipse caput nisi illius ecclesie, que est unum cum Christo sive in cuius medio est Christus. Si<sup>g</sup> ergo presupponitur esse concilium et papam eidem non adherere, animadverti debet, quomodo pro eo tempore competit sibi esse caput ecclesie aut cuius ecclesie representabitur caput, cum non sit unum cum ea, in cuius medio est Christus, sicut nec aliquis sponsus erit eius, cui non vult uniri. Et attendendum, quod sicut ecclesie repugnat se ab aliquo separare, ita nec competit se aliis unire, sed membra sibi debent uniri. Ita videtur de concilio esse dicendum, cum eo ipso, quod dicitur concilium, intelligatur esse unum cum Christo. Item sicut est supratactum, hec superioritas sive excellencia ecclesie respectu pape provenit ex speciali assistencia Spiritus Sancti in concilio et immediata presidencia Christi. Id enim, quod in conciliis diffinitur, non hominibus, sed attribuitur Spiritui Sancto, prout sunt de hoc multe auctoritates sanctorum, et patet ex illo concilio apostolorum Act. xv, ubi in promulgacione sentencie primo nominatur Spiritus Sanctus: dicitur enim: *Visum est Spiritui Sancto et nobis*<sup>5</sup>. Intrinsicam vero presidenciam Christi patet ex illa sepe inducta auctoritate: *Ubi sunt*<sup>h</sup> *duo vel tres*<sup>6</sup> etc. Ex hac autem preeminencia non derogatur excellencie

<sup>g</sup> tamen V 2      <sup>h</sup> om. H

<sup>2</sup> cf. Mt 18,20

<sup>3</sup> Mt 18,17

<sup>4</sup> Mt 18,20

<sup>5</sup> cf. Act 15,28

<sup>6</sup> Mt 18,20

summi pontificis, nam sicut Paulus et Johannes dixerunt ad Julianum imperatorem renunciantes suis obtemperare mandatis: *Non tibi facimus hanc iniuriam, ut preponamus tibi qualem personam; Dominum tibi preponimus, qui fecit celum et terram* <sup>7</sup>, ita ecclesia sive concilium potest dicere summo pontifici propter sibi competentem immediatam presidenciam Christi et specialem assistenciam Spiritus Sancti. Hec enim duo videntur ut communia semper exprimi, ubi in sacra scriptura fit mencio de concessa potestate ecclesie sicut patet Luc. x: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* <sup>8</sup> Item Math. x: *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* <sup>9</sup>. Item: *Ubi sunt duo vel tres etc., ibi ego sum in medio eorum* <sup>10</sup>. Et Joh. xx: *Insufflavit et dixit: accipite Spiritum Sanctum et quorum remiseritis* <sup>11</sup> etc. Et: *sicut misit me pater et ego mitto vos* <sup>12</sup>. Et Math. ultimo: *Euntes docete omnes gentes* et subdicat *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumacionem seculi* <sup>13</sup>.

<sup>7</sup> cf. ASS Juni (26.) V (1709) p. 160 AB!

<sup>8</sup> Lc 10,16    <sup>9</sup> Mt 10,20    <sup>10</sup> Mt 18,20    <sup>11</sup> Jo 20,22 s    <sup>12</sup> Jo 20,21    <sup>13</sup> Mt 28,19 s

*Add. 20 (cf. p. 52)*

Ex hac auctoritate et ex illa eiusdem apostoli II Cor. XIII: *Non enim possumus adversus veritatem, sed pro veritate* <sup>1</sup>, videtur sequi, quod in omni accione duplex est limes sive mensura auctoritatis pape sive cuiuslibet potestatis ecclesiastice, scilicet veritas et edificacio ecclesie, et quantumcumque potestas alicuius dicatur esse illimitata, non tamen absolvitur ab hoc duplici limite sive mensura. Quandocumque enim in ecclesia iubetur <sup>a</sup> et statuitur, si innititur veritati et tendit in edificacionem ecclesie dicitur fieri bene, si autem utrumque vel alterum ipsorum deficiat, cum deviet a sua regula directiva, minus dicitur recte fieri. Unde papa fundat suam intencionem super falso aut mendacio, iuxta auctoritatem apostoli potestatem videtur illi non suffragari, sed deficere. Et quidem non inquit, 'non debemus aut non licet nobis adversus veritatem dicere', sed dicit 'non enim possumus aliquid adversus veritatem'. Dicit eciam, quod potestas data est a Christo in edificacione ecclesie <sup>2</sup>. Unde apparet, quod ecclesia sive bonum ipsius sit finis potestatis cuicumque concessa.

<sup>a</sup> iubetur *usque ad concessa (in fine) add. H*

<sup>1</sup> 2 Cor 13,8    <sup>2</sup> cf. 2 Cor 13,10

*Add. 21 (cf. p. 54)*

Ecce ex hac epistole auctoritate patet, quod iudicium ecclesie sive concilii preferitur iudicio pape, quia non est credibilis, quod unicuilibet Deus inspiret examinis iusticiam et deneget innumerabilibus sacerdotibus in concilio congregatis.

*Add. 22 (cf. p. 61)*

Christus namque sponsus suus, caput et dominus dignatus est tantam humilitatem in se ostendere, ut dixerit, quod *non venit ministrari sed ministrare*, Math. xx <sup>1</sup>. Unde ecclesia non repugnat ministrare docendo, predicando ac declarando ea, que pertinent ad fidem salutemque omnium fidelium suorum, similiter ordinando, precipiendo et disponendo, que suo iudicio pro tempore illis oportuna videntur. Hoc enim ministerium non indignitatem, sed auctoritatem demonstrat. Similiter est in ecclesia multiplex aliud ministerium, sicut intercedere, orare et supplicare pro salute fidelium et aliis similibus diversis, sed ad presens non exemplificatur, quia de illis non agitur nec de potestate suprema regiminis <sup>a</sup> fidelium.

<sup>a</sup> regitura (?) *codd.*

<sup>1</sup> Mt 20,28

*Add. 23 (cf. p. 64)*

Et quia in conciliis generalibus, prout patet ex ipsorum processu, primum intenditur ad implorandum assistenciam divini auxilii per oraciones et sacrificia, super quo communiter primo sint oraciones et specialiter hoc patet intuenti ceremonias et solemnitates, que fiunt in diebus sessionum, quando debent aliqua pronunciari deffinitive, ubi dicuntur letanie, cantantur responsoria et ymni, ac fiunt oraciones multum devote. Ex quibus apparet <sup>a</sup>, quod patres, qui in concilio sunt, humane investigationi et potestati, sed principaliter innituntur auctoritati divine et superne virtuti. Etenim quando Christus tradidit potestatem ecclesie, ut <sup>b</sup> non erraret in iudicio, ne diffideret super facienda execucione, duo ei <sup>c</sup> promisit, videlicet petitionis exaudicionem et sui assistenciam <sup>d</sup> specialem. Cum namque dixisset: *Amen dico vobis, quecumque alligaveritis super terram* etc., statim subiunxit *Item dico vobis, quod si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque pecierint, fiet illis a patre meo, qui in celis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi*

<sup>a</sup> patet H    <sup>b</sup> om. V2    <sup>c</sup> eidem H    <sup>d</sup> existenciam V2

*ego sum in medio eorum*<sup>1</sup>. Hec autem sic non reperiuntur fieri in curiis regum aut principum, ubi congregaciones corpus politicum, non autem, ut ecclesia in concilio congregata, propter immediatam assistenciam Christi et Spiritus Sancti corpus misticum appellantur<sup>e</sup>.

<sup>e</sup> appellatur *H*

<sup>1</sup> Mt 18,18 ss

*Add. 24 (cf. p. 65)*

Et si obicitur, quod in baptismo et alio quolibet sacramento, ubi gracia spiritualis immediate datur a Christo, nichilominus intervenit minister tamquam immediatum instrumentum, sic ergo in concilio generali erit de papa, quod intelligatur esse caput ministeriale, licet acciones conciliares dicantur esse a Spiritu Sancto tamquam a principali agente. Hoc autem non impedit. Nam in baptismo alius effectus attribuitur Christo, alius ministro. Remissio namque culpe effective intelligendo ita attribuitur Deo, quod ad hunc effectum nullatenus pertingit per se accio ministri; abluere autem corpus attribuitur ministro, deo autem posset attribui ratione generalis influencie, sicut in quolibet effectu naturali. Proprie tamen nullus effectus est communis Deo et ministro nec communicantur in eadem accione, ita ut posset minister dicere: «Deus et ego baptisamus aut peccata dimittimus». In accionibus autem conciliariis Spiritus Sanctus ac patres, qui sunt in concilio, insimul numerantur. Unde dictum est: *Visum est Spiritui Sancto et nobis*<sup>1</sup>, quod videtur ex immediata assistencia et cooperacione.

<sup>1</sup> Act 15,28

*Add. 25 (cf. p. 66)*

Et hoc potest intelligi in verbis Christi Math. xx, Marc. x, Luc. xxii<sup>1</sup>, quando redarguens appetitum dominandi dixit apostolis, quod deberet ita esse inter eos sicut in seculo, ubi reges gencium dominantur.

<sup>1</sup> cf. Mt 20,25, Mc 10,42, Lc 22,25

*Add. 26 (cf. p. 66)*

Legens eciam librum de actis apostolorum poterit denotare, quod in primitiva ecclesia Deus videbatur regere per seipsum; unde Petrus ad Anianam inquit: *Cur temptavit Sathanas cor tuum mentiri Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo*<sup>1</sup>. Idem eciam dixit ad Saphiram; similem sententiam Gamaliel dixit: *Si ex hominibus est consilium hoc, aut opus, dissolvetur, si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere, ne forte et Deo repugnare videamini*<sup>2</sup>. Clarissime autem apparet Act. xv, ubi apostoli et seniores congregati in concilio dixerunt: *Visum est Spiritui Sancto et nobis*<sup>3</sup>, ex quo manifeste probatur, quod Spiritus per se et immediate in concilio operatur acciones conciliares. Unde et error posset contingere, in quantum patres, qui sunt in concilio, singulariter iudicarent ut homines; sed hoc numquam in actionibus continget eorum, que conciliariter fiunt, quia cum eis suus diffinit ac iudicat Spiritus Sanctus, qui specialiter assistit, ne in actionibus, que conciliariter procedunt, interveniat error. Equidem promisit post, quod esset in medio legitime congregatorum in nomine suo<sup>4</sup>. Unde ex premissis apparere videtur, quod ecclesia in concilio generali se habet potius ut corpus mysticum quam ut corpus politicum, et qui existimant, quod iudicia concilii sunt ut cuiuslibet alterius multitudinis, videntur prophanare ecclesiam Dei. Si enim pro aliquo loco et tempore creditur, quod ecclesia regatur a Spiritu Sancto, non potest apcius hoc convenire, quam ubi ipsa ecclesia congregata diffinit in concilio super veritatem fidei et morum, cum sit declaratum in concilio Constanciense, quod sacrum generale concilium ecclesiam universalem representat et id, quod approbat in favorem fidei et ad salutem animarum, hoc esse ab universis Christifidelibus approbandum et tenendum, ac quidquid condempnat esse fidei vel bonis moribus pro contrarium, hoc ab eisdem esse credendum, tenendum et asserendum pro condempnato. Hoc eciam videtur dicere Ambrosius, epistola LXXVII, quod cum aliquid diffinitum est per synodum, standum est super illo cuique, eciam si angelus de celo esset. Ideo colligitur saltem primo.

<sup>1</sup> Act 5,3    <sup>2</sup> Act 5,38 s    <sup>3</sup> Act 15,28    <sup>4</sup> cf. Mt 18,20

*Add. 27 (cf. p. 67)*

Hec enim videtur esse causa vocacionis ad concilia. Nam si ecclesia prelatis existentibus in concilio et aliis notabilioribus de ecclesia viris similiter et principibus populi christiani per se aut suos ambasiatores et



hiis deliberantibus et<sup>a</sup> propter causam fidei sed in alio negotio concernente rei publice christianorum utilitatem, libertas<sup>b</sup> est pape sprete eorum diffinitione agere non quod illis, sed quod sibi apparet, videtur, quod tunc gratis convenerint et frustra vocati fuerint.

<sup>a</sup> eciam *H*      <sup>a</sup> liberum *H*

*Add. 28 (cf. p. 69)*

Non super hunc populum vel illum, sed generaliter et indeterminate<sup>a</sup> christiani. Hoc eciam videtur probari ex communi modo loquendi; episcopi namque non habentes plebes speciales, ad quarum regimen intendunt<sup>b</sup>, sed sunt titulares, appellantur episcopi universalis ecclesie. Ex quo apparet, quod eo ipso in sua consecratione accipiunt auctoritatem sive potestatem ad regimen universalis ecclesie. Et videtur hic [esse . . .

<sup>a</sup> sed eciam quoad exercitium in habitu ad regimen universi populi *add. H*

<sup>b</sup> intendunt *H*

*Add. 29 (cf. p. 69)*

Unde apostoli ex distributione terrarum quas inter se mutuo divisisse refertur, non habuerunt novam potestatem, que sibi primo non comperet, cum Christus immediate eis concesserat potestatem dicens Joh. xx: *Sicut misit me pater, et ego mitto vos*<sup>1</sup>. Item Joh. xvii Christus ad Patrem loquens inquit: *Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum*<sup>2</sup>. Item: *Euntes per mundum universum docete omnes gentes et predicate evangelium omni creature*<sup>3</sup>. Ecce quia a Christo concessa est apostolis potestas illimitate absque determinatione huius vel illius populi, sed absolute per universum mundum super omnem creaturam, et cum constet hoc fuisse eis concessum, priusquam quilibet eorum recepisset ad exercitium sui operis hunc vel<sup>a</sup> illum populum particularem, per<sup>b</sup> hanc divisionem sive coaptacionem non intelligitur, quod sint privati illa universali potestate, que a Christo absolute concessa fuit eis. Sic igitur, cum episcopi et presbiteri succedant in locum apostolorum et discipulorum Christi per hoc, quod recipiunt a papa determinatas ecclesias et plebes et sic ex eo dicuntur vocati in partem sollicitudinis, non censetur eo ipso fore privatos illa prelatura, quam prius<sup>c</sup> habuerunt<sup>d</sup> a Christo in ordinationibus suis et consecrationibus, que illis data est absolute, non

<sup>a</sup> *om. V 2*      <sup>b</sup> *ad H*      <sup>c</sup> *immediate H*      <sup>d</sup> *habuerant H*

<sup>1</sup> Joh 20,21      <sup>2</sup> Joh. 17,18      <sup>3</sup> Mc 16,15 et Mt 28,18

super hanc vel illam plebem, sed potius<sup>e</sup> dicendum, quod primo eis competeret in habitu, quando sunt congregati in concilio, iam eis competit in exercicio. Ita fuit in apostolis et discipulis, cum ex diversis mundi partibus, ubi prius<sup>f</sup> erant, convenerunt Ierosolimis ad illud famosum concilium generale super non-observacione legalium. Attento<sup>g</sup> in hoc esse differentiam de potestate pape in generali concilio et aliorum conciliorum, quod in aliis, quantum ad regimen universalis ecclesie priusquam fuit in concilio, potestatem hanc solum in habitu, si vero fuerit in concilio hanc in actu et exercicio non quidem singulariter, sed una cum aliis; papa vero etiam priusquam esset in concilio, habet illam potestatem ad regimen universalis ecclesie etiam in actu. Nec quando est in concilio, illam perdit, sed iam habet exercere ipsam accionem communiter cum aliis, et primo exercebat eam per se ipsum vel cum illis, de quibus sibi videbatur. In generali autem concilio videtur, quod se habeat ut consocius sive coepiscopus aliorum propter presidenciam et assistenciam Christi, qui est summus pontifex futurorum bonorum.

<sup>e</sup> est *add. H*      <sup>f</sup> primo *H*      <sup>g</sup> attento *usque ad bonorum (in fine) add. H*

*Add. 30 (cf. p. 71)*

Ex predictis posset responderi ad auctoritates sacre scripture in principio adductas, que ex hoc videntur habere efficaciam argumenti, quia illa verba diriguntur per Christum ad Petrum nec ad alios apostolos. Quantum ad primas tres iam satis dictum esse arbitrabimur, illam autem *pasce oves meas*<sup>1</sup> etiam prout aliam *tibi dabo claves*<sup>2</sup> etc. Augustinus intelligit ecclesie competere. Quod autem dicitur *duc in altum*<sup>3</sup> et iam *homines eris capiens*<sup>4</sup>, similiter dictum est aliis *venite post me et faciam vos fieri piscatores hominum*<sup>5</sup>. Erit autem ad omnes una, sicut dictum est, communis responsio, quod fiat comparacio Petri ad alios prout singulariter considerantur suntque partes et membra, non autem prout considerantur ut totum, quia huius tocus ipse Petrus intelligitur esse pars quedam et membrum.

<sup>1</sup> Joh 21,17      <sup>2</sup> Mt 16,19      <sup>3</sup> Lc 5,4      <sup>4</sup> Lc 5,10      <sup>5</sup> Mt 4,19, Mc 1,17

*Add. 31 (cf. p. 71)*

Et principalitatem dignitatis sive primitatem. Cuius contrarium apparere potest ex supradictis ac intuentibus libros de ecclesiasticis officiis, ut in canone misse et aliis. Nam de et pro ecclesia primo, consequenter



vero de papa fit commemoracio, nec obstat dicendo, quod ex quo Christus commisit regendam ecclesiam suam Petro, quod ideo sit maior. Christus enim commisit matrem suam Johanni <sup>1</sup>, nec tamen propter hoc ipsum maiorem dicitur constituisse, sicut nec rex, qui peregre proficitur, si committit <sup>a</sup> reginam uxorem suam et regnum alicui vicario, quod ideo vicarius ille sit regina superior.

<sup>a</sup> committat *H*

<sup>1</sup> cf. Joh 19,27

*Add. 32 (cf. p. 77)*

Est etiam hic advertendum, quod in primitiva ecclesia tempore apostolorum videtur semper durasse aut continuatum fuisse Ierosolimis generale concilium. Ad quod quidem concilium erat recursus super omnibus dubiis, que pro tempore illo occurrerunt et ad hoc ipsi apostoli referebant gesta per eos in provinciis sibi distributis. Inducitur hoc ex eleccione Matthie et constitutione septem dyaconorum ac diffinitione facta super dubio de <sup>a</sup> observacione legalium, specialiter vero ex missione Petri ad Samariam cum Johanne. Si enim apostoli miserunt eum tamquam singulares persone, hoc esset inconveniens, quod diceretur sic subiectus esse eis; unde oportet dicere, quod fuit generale concilium, a quo dicitur esse missus. Similiter patet hoc ex disceptacione adversus Petrum, quia introivit ad gentes, clarius autem de Paulo, quando fuit sibi iniunctum, quod purificaret se cum aliis, ut introiret in <sup>b</sup> templum, Act. XXI. Cum enim ibi non esset Petrus, ad quem diceretur posse pertinere, quod <sup>c</sup> hoc faciendum illi iniungeret, quando Jacobus et alii tamquam singulares persone, quibus in dignitate apostolari par erat et equalis, id sibi precipere, oportet ergo id dici fuisse generale concilium. Hoc etiam patet ex epistola Clementis de sua intronizacione facta sibi a Petro, ubi continetur quod hoc mandabat significari Jacobo <sup>1</sup>. Idem etiam continetur in libro, qui intitulum Itinerarium Petri <sup>2</sup>. Hoc etiam manifeste videtur induci ad Gal. II, ubi patet, quod Paulus ascendit Ierosolimam et contulit cum inibi congregatis evangelium suum, et in eo capitulo Jacobus nominatur ante Petrum <sup>3</sup>, quod sibi diceretur competere racione presidencie. Specialiter hoc videtur ex consideracione temporis, quia dicit quod post annos XIII a sua conversione ascendit et secundum hoc, si tenetur quod

<sup>a</sup> et *V 2*    <sup>b</sup> *om. V 2*    <sup>c</sup> *om. V 2*

<sup>1</sup> RUFIN. epist. Clement. 19,2 (GCS 42 [1953] p. 21)

<sup>2</sup> PG 2,579 <sup>AB</sup>    <sup>3</sup> Gal 2,9

semper fuit <sup>d</sup> Ierosolimis continuatum tempore apostolorum generale concilium, oportebat dicere, quod illa quatuor supra nominata non fuerunt diversa concilia, sed diverse acciones unius continuati concilii, et hec videtur magis propria locucio.

<sup>d</sup> *om. H*

*Add. 33 (cf. p. 78)*

Et hoc videtur notari eciam ex significacione vocabuli <sup>a</sup>: decretalis enim derivacionem et originem trahit <sup>b</sup> ex decreto, decretum autem secundum omnes est communis diffinicio, que fit in concilio; huiusmodi ergo epistole decretales sunt ille, que dicuntur parificari canoni concilii, non autem ille, que inconsultis aliis procedunt ex iudicio aut nutu solius pape. Unde legenti antiquas hystorias apparere potest, quod propter multa dubia, que tempore multiplicacionis fidelium occurrerunt, ...

<sup>a</sup> volumini V 2      <sup>b</sup> *om. H*

*Add. 34 (cf. p. 78)*

Quod hoc <sup>a</sup> est intelligendum <sup>b</sup> de illis sanccionibus et decretalibus epistolis, in quibus nec *precedencium patrum decretis nec evangelicis preceptis aliquid contrarium invenitur* <sup>1</sup>. Unde patet, quod ubi canon et epistola contrariantur, standum esset pocius canoni, in quo manifeste ostenditur superioritas concilii respectu pape.

<sup>a</sup> illud *H*      <sup>b</sup> est *add. H*

<sup>1</sup> DECRET. Grat. I dist. 19 c. 7 (p. 62)

*Add. 35 (cf. p. 79)*

Similiter in volumine decreti <sup>1</sup>, ubi numerantur generalia et alia concilia, in fine narrationis cuiuslibet subditur «et statuerunt tot vel tot canones», ita quod statuere competebat omnibus in concilio, non autem attribuitur soli pape vel eius legatis.

<sup>1</sup> cf. DECRET. Grat. I dist. 16 c. 10 (p. 45 s)

*Add. 36 (cf. p. 80)*

Et ita tamen non est. Licet enim propter pericula, que exinde sequi possent, si cuilibet liceret congregare generale concilium, papa habet

ex auctoritate<sup>a</sup> illud convocare. Et quantum ad hoc, est verum illud dictum commune, quod concilia robur accipiunt<sup>b</sup> et firmitatem a summo pontifice, *et quod nullum est legitimum concilium, nisi fuerit summi pontificis auctoritate suffultum*. Tamen postquam legitime congregatum est, eo ipso, prout declaratum est in concilio Constanciensi, immediate habet potestatem a Christo et potestas universalis ecclesie transfunditur in concilium sive consumatur aut iuxta premissa loquendo, cum sit iam oblata materia, potestas que erat in habitu, efficitur in actu et exercicio. Itaque et si papa suos oratores, legatos aut presidentes revocaret, non propterea revocatur aut desinit esse potestas, quam concilium immediate habet a Christo. Iam eciam concilium eo ipso quo congregatum est propter condiciones supratactas, que ecclesie nec pape conveniunt, intelligitur habere superioritatem sive maioritatem. Et manifestum est quod inferior non potest tollere legem superioris aut ipsum destruere. Est enim repugnancia contradiccionis, quod papa tenetur preceptis conciliis obedire et quod possit pro suo libito illud dissolvere et destruere. Preterea illa decreta, que dicunt, quod solus papa congregat concilium, loquuntur comparando papam ad alias personas ecclesie, non autem adimitur potestas ipsi ecclesie, quando possit, sicut factum est in concilio Constanciense, ordinare, quod concilia celebrentur certis temporibus et quod ad illa absque alia convocacione pape, prelati et alii, qui tenentur, debeant venire. Et sic apparet, quod etsi de communi lege concilia quoad congregacionem suscipiant a papa robur et auctoritatem, tamen id non est de necessitate, prout patet in casu premissa et eciam in multis aliis, in quibus licet eciam invito papa vel sede vacante concilium congregare. Ex premissis igitur apparet quod...

<sup>a</sup> ad *add. H*    <sup>b</sup> suscipiunt *V 2*

*Add. 37 (cf. p. 85)*

Et quod ita generaliter predictum decretum debeat sive possit intelligi, videtur pro eo, quia nullatenus creditur, quod dictum concilium Constanciense propter expressionem specificam<sup>a</sup> horum trium, videlicet fidei, scismatis et generalis reformationis, si forte sumantur ita, quod non ad omnia extendantur, voluit restringere sive auferre potestatem per Christum concessam ecclesie, quinymmo potuit, cum inferior non limitet iurisdictionem concessam a superiore; vel ergo concilium sive ecclesia de se habet aliquam potestatem, que a papa solo<sup>b</sup> dependeat aut non. Si

<sup>a</sup> factam *add. H*    <sup>b</sup> solum *H*, non *add. H*

non, quomodo ergo potest deponere papam vel anathematizare omnem heresem, sicut in primo Niceno concilio legitur? Si autem aliquam iurisdictionem sive potestatem habet, cum de illa debeat constare in sacra scriptura, et in hac non reperitur expressior auctoritas, quam que predicta est, Math. XVIII: *Quecumque alligaveritis* <sup>1</sup> etc. Hic autem est concessa <sup>c</sup> potestas in omni generalitate et plenitudine absque limitatione; ergo sic debet intelligi et sic intelligendo non dicitur fieri <sup>d</sup> addicio ad prefatum decretum, cum non dicatur <sup>d</sup> esse additum, si quod exprimitur est de prioris intellectu, sicut ecclesia non dicitur addidisse, quando declaravit, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio, eciam si hoc non fuit <sup>e</sup> expressum in symbolo apostolorum vel Niceno. Et allegatur causa, quia hoc necessario argumento elicitur ex sacra scriptura, sic in proposito videtur dicendum. Item nec concilium Constanciense dicitur addidisse, quando specificavit predictos tres casus et pertinencia ad eos. Cum tamen contenta capitula in iure communi non videtur excipere, ut communiter asseritur, nisi in casu fidei; quamdiu enim mundus durabit, cum a Christo sit concessa potestas ecclesie docere omnes gentes, secundum difficultates insurgentes, sicut potest nova statuta condere, ita et facere novas declarationes habentes se conformiter ad auctoritates sacre scripture. Et secundum huiusmodi declarationes, que de novo fiunt, oportet intelligere iura communia et sanctorum et sacre scripture auctoritates. Unde ad capitula decretorum, que dicunt, quod *nemo iudicabit primam sedem* <sup>2</sup> etc. cum aliis multis similibus videtur dicendum prout supra dictum est, quod ibi nemo distribuit pro singulis membris ecclesie singillatim consideratis. Non autem pro concilio aut <sup>f</sup> ipsa ecclesia, que est corpus, que non videtur contineri sub predicto nomine, distribucio singulorum nemo. Nec obstat, quod dicitur ab omni clero. Ibi enim dicitur nec ab augusto nec regibus, et constat ex hiis, non competit ligandi nec minimum clericum, et sic nomine cleri non intelligitur concilium universale, sed talis clerus, de quo non esset dubium sicut nec de augusto respectu pape.

<sup>c</sup> expressa *H*      <sup>d</sup> fieri *usque ad* dicatur *om.* *V 2*      <sup>e</sup> fuerit *H*      <sup>f</sup> vel *H*

<sup>1</sup> Mt 18,18      <sup>2</sup> NICOL. I. epist. 88 (MG Epist. VI p. 466; cf. Mansi 1 p. 1257 B)